

Montem hunc ascendere & Sanctum Aquinatem legere ac intelligere sæ-  
regi, vt apprehenderem fructus eius, vt virtutes & doctrinam ipsius pro  
imbecillitatis meæ modulo imitarer. Et vbi Academicorum aliorumque  
prudentum iudicio visum est quod idoneus essem alios docere, Primum  
Philosophicas in Regio Duacensi Gymnasio disciplinas; mox Theo-  
logiæ arcana in publica eademque Regia Vniuersitatis Duacenæ palæ-  
stra; tantum abest vt de huius montis descensu cogitarem, quin potius  
eum alacrius & altius ascendendi cresceret animus, caperetque in dies sin-  
gulos incrementa. Vnde factum vt Summam eius Theologicam quatuor  
Commentariorum Voluminibus (tenuitatem meam subleuante & adiu-  
uante Deo) illustrauerim. Et Tertiam quidem cum eius Supplemento  
Partem, primò in lucem emisi, & postea nonnihil auctiorem dedi: At  
cum deficientibus Exemplaribus iterata impressio, eaque prioribus au-  
ctior ad importunitatem vsque expeteretur; ad nouas curas totum istud  
negotium reuocauit, & paucis mutatis, plurimis verò additis, ita Commen-  
tarium disposui, vt quasi nouum Opus videri possit.

Quidquid autem illud est, R.<sup>ms</sup> D. ac P.<sup>ti</sup> tuæ inscribo, offero, variis ra-  
tionibus ita exigentibus.

Cuinam enim potius nuncuparem hoc Opus, quàm illi Amico (si in-  
ter magnos & paruos amicitia perseuerat) qui cum in minoribus effet, sæ-  
pius in Scholis nostris Theologicis nos de huius (vt & de aliarum partium  
Theologicarum) materiis audiuit differentes?

Cuinam magis Tractatum de Incarnati Verbi æconomia; de eiusdem  
Passione ac Morte, de Sacramentis ab eo institutis; deque iis quæ mundi  
finem præcedent ac subsequuntur, quàm Episcopo vitæ ac mortis Chri-  
sti deuoto contemplatori, quàm sacrorum Principi, quàm Sacramento-  
rum operatori, quam ei qui ministros magnâ spirituum discretionem con-  
secrat, & vt ministeriis suis sedulo perfungantur indefesso labore inuigilat,

2. ad Tim  
4.

*Instans oportune, importune, arguens, obsecrans, increpans in omni patientia &  
doctrina.*

Cui magis quam Antistiti qui sicut ante Præsulatum, ita & modò se  
studet ab omni culpa facere alienum, & immaculatum se custodire ab hoc  
sæculo; quasi quotidie Sapientem audiret monentem, *In omnibus operibus  
tuis memorare nouissima tua & in æternum non peccabis?*

1. ad I.  
Eccles. 7.

Cuinam magis, quàm Theologo pariter & Iuriscônulto; cum Do-  
ctor noster B. Thomas Aquinas non Theologis modò, sed & Iurif-  
peritis lucem ferat, in iis quidem potissimum quæ sunt de iure & iusti-  
tia, sed & in plurimis quæ tum in Parte Tertia, tum in ipsius Supple-  
mento pertractantur: Præclarum est illud Francisci Vargas Catholicæ  
Maiestati à Consiliis rerum status, & eiusdem apud S. D. Pium Quar-  
tum Oratoris: *Mibi Thomas pro centum millibus est, quemadmodum Cicero  
de Catone dicebat. Is enim adeò diligens semper fuit explorator veritatis, vt  
nihil abditum, nihil remotum, nihil obscurum esse permisit, sed omnia exposi-  
ta, prompta, ipsa denique luce clariora fecerit. Huic omni non modò in Theologi-  
cis definitionibus, in quibus, vt ita dicam, diuinus est, & ab omnibus amplectens  
dus, sed in Iurisprudentiæ studis plus debeo quam infinitis Iurisperitorum (om-  
mentarius. Hunc igitur R.<sup>ms</sup> IN CHRISTO P. AC DOMINE, Com-*

De episc.  
iurisdic.  
Confirm.  
7.